

et. Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. » Ergo praedicatio Apostolica de Primatu Romani Episcopi continebat etiam praedicationem de successione eiusdem in cathedra episcopali Petri; hic enim est modus necessarius concipiendi huius dogmatis, qui semper et ubique invariabiliter retentus est. Igitur obiectum praedicationis Apostolicae, qua dogma proponebatur de Primatu Romani Pontificis, huiusmodi erat: Romanus Pontifex succedit Petro in Primatu quia tenet cathedram Episcopalem Petri. Atqui hac praedicatione necessario continetur quoque praedicatio de Episcopatu Romano Petri. Affirmatur enim Romanum Episcopum tenere cathedram episcopalem Petri: nam in propositione causali utrumque affirmatur, ratio et rationatum, et utrumque verum esse debet, si ea causa est unica; ut heic est. Porro perinde est dicere Romanum Episcopum tenere cathedram episcopalem Petri, et dicere Petrum primum fuisse Episcopum Romanum. Ergo eadem testificatione qua tradiderunt Apostoli dogma de Primatu Romani Pontificis, tradiderunt quoque veritatem huius facti nempe Episcopatus Romani Petri. Porro huius facti veritatem tradentes, eam ut credendam fide divina proposuerunt, si credendam tanquam revelatam proposuerunt successionem Romani Episcopi in Primatu. Illud enim a testibus divinis proponitur ut credendum, quod proponitur in ipsa praedicatione dogmatis tanquam modus necessarius concipiendi dogmatis: atqui tale est factum Episcopatus Romani. Ergo facta hypothesi quod veritas sit revelata ac contenta in traditione Apostolica quod Romanus Pontifex teneat Primatum et sit successor Petri: episcopatus quoque Romanus Petri censendus est factum revelatum.

Et re quidem vera traditio haec Episcopatus Romani Petri nulla caret quae consequitur traditionem Apostolicam dogmaticam. Est enim antiquissima, universalissima, semper et ubique retenta, nunquam de ea dubitatum nisi ab haereticis; et auctoritate quoque Conciliorum firmata est (Cf. Th. praeced.). Eaque res ut infallibiliter certa ab omnibus habetur: quaestio est quidem an sit tantum factum dogmaticum, de quo non liceat dubitare, an sit praeterea factum revelatum. Nos theologice demonstrasse putamus nihil obstare quominus sit factum revelatum, fideque divina, quae auctoritate Dei loquentis per suos testes innititur, credendum.

Adverte cum Bellarmino (De Rom. Pont. L. II. c. 4) diversas esse quaestiones, an Petrus fuerit Romae, an mortuus sit Romae: an fuerit Episcopus Romanus, an Episcopatum Romanum usque ad mortem retinuerit: et prima quidem duo facta necessario ex se non esse ad Romani

Pontificis Primatum constituendum. Potuit enim Petrus suscipere Episcopatum Romanum, eumque semper tenere, quin unquam Romae fuerit. Quare nos in hac thesi de *Episcopatu Romano* Petri, non de *adventu eius in urbem* locuti sumus. Verum in traditione ecclesiastica ita haec duo coniuncta sunt, ut si hoc negetur, et illius certitudo vacillet. Quare saltem ut factum dogmaticum praesuppositum Episcopatus Romano adventus Petri in Urbem haberi debet.

THESIS X.

Quocirca cum Petrus Romanum Episcopatum suscepit ut in eo perpetuos successores in Primatu haberet, Deus ratam specialiter habuit hanc Petri electionem: ideoque de iure divino saltem consequente, nempe consequente factum Petri, praeventente autem factum successionis est quod Romanus Episcopus succedat Petro in Primatu. Imo probabilem satis censemus sententiam: voluntate scilicet antecedente Dei iussum esse Petrum hanc formam perpetuam successionis statuere nimirum per episcopalem Sedem, et inter Sedes eligere Romanam.

I. Nectimus per se hanc thesim cum eo quod in enunciatione primae partis Thesis praecedentis affirmavimus. Cum Christus voluerit perpetuos successores esse in Primatu, oporteret autem iam ab initio constituere formam successionis, alterutro modo Christus erga Petrum se gessit: vel enim ipse Christus praestituit Petro certam formam, qua voluit succedi, vel permisit arbitrio Petri, ut quam vellet ipse praescriberet. Si primum dicamus, nulla amplius re opus habemus pro demonstranda prima parte thesis, nam et ipsa et aliquid plus asseritur. Si secundum dicatur, haec animadvertimus. Cum Christus collata potestate alteri, permittit ei agere secundum eam potestatem, ipse censetur ratum habere quod alter secundum eam potestatem facit. Verum haec ratihabitio Christi non impedit quominus illud idem quod prius factum est, postea ab eodem vel ab alio gaudente eadem potestate mutetur, oppositumque fiat. Est ergo cogitanda alia quaedam ratihabitio *specialis*, quae nempe factum alterius ita probat, ut illud sanciat, velitque perpetuam vim obtinere. Hanc specialem ratihabitionem Christi dicimus accessisse facto Petri.

Sane certum est Romanos Episcopos solos esse in perpetuum immutabiliter successores Petri: porro ratio a posteriori huius immutabilitatis ea est nobis quia hoc est definitum Romanum Pontificem succedere Petro: doctrina autem definita est immutabilis veritatis: at debet eiusdem rei ratio aliqua a priori sive ontologica esse; hanc

autem dicimus esse voluntatem Christi ratam habentis electionem Petri et sancientis ut ea forma successionis perpetua esset. Et sane si deesset haec specialis ratihabitio Christi, non esset a parte rei ratio sufficiens huius immutabilitatis. Etenim fac eam deesse: nunquam vere probabis non esse in Ecclesia vel successoribus Petri potestatem mutandi eam formam successionis: in hac enim hypothese actio haec non esset contra ullam voluntatem Dei; nam voluntas Dei quae foret, haec tantum esset, perpetuos existere successores: cui voluntati fieret satis etiam mutata conditione successionis. Quod autem non est contra voluntatem Dei, et non est per se malum, cur in Ecclesia fieri nequit? Potest quidem dici ea mutatio esse contra voluntatem Petri: sed 1) voluntas Petri obligare quidem potest Ecclesiam vivente Petro, sed post mortem, cum cesset iurisdictio personalis Petri, nequit ea voluntas impedire quin aliud a successore sanciat. Et sane 2) successor succedit in omnibus iuribus Petri, quae ad bonum regimen Ecclesiae spectant: cur ergo, si bonum Ecclesiae postulare videretur ut sedes Primatus mutaretur, id non posset vel solus Pontifex, vel Ecclesia cum Pontifice, sicut respublica, vel eius caput potest transferre regimen ab una familia, puta a sua, in aliam? Nunquam quidem continget huiusmodi necessitas in Ecclesia: sed id a posteriori novimus, scientes immutabilitatem cathedrae, supposita providentia Dei erga Ecclesiam. Itaque ratio a priori huius immutabilitatis, quam credimus, est voluntas Dei quae ratam habuit et sanxit in perpetuum electionem Petri. Quare haec voluntas Dei supponit quidem factum Petri quod Episcopatus Romano suscepto alligaverit iura Primatus, praecedat vero factum successionis ceterorum post Petrum, etque ratio sufficiens eius immutabilitatis.

Itaque iure divino saltem consequente factum Petri, praecedente vero factum ipsum successionis Romanus Pontifex is est qui succedit Petro. Rem porro ita se habere evinci quoque potest auctoritate eorum, quos in sequenti parte afferemus; quorum sententiam huc saltem redire necesse est.

II. Hactenus locuti sumus in hypothese quod Christus permiserit Petro determinare formam successionis. Verum et prior hypothesis supra memorata fieri potest. Alterutra quidem, ut diximus, facienda est; ideoque saltem iure divino consequente Romanus Episcopus is est ex tot qui succedit Petro. At prior hypothesis, licet certa non sit, est tamen valde probabilis et veteribus arrisit. Ita Innocentius III (epist. 209 L. II) tanquam extra dubitationem positum refert Petrum ex divina revelatione fuisse ab Antiochia translatum ad Urbem, secumque transtulisse cathedrae principatum. Huc a quibusdam refertur quod narrat Ambrosius (Serm. contr. Auxentium de Basilicis traden-

dis n. 13) Petro Roma egredienti Christum in porta occurrisset, illic interroganti: *domine quo vadis?* respondisse Christum: *venio iterum crucifigi*; proinde Petrum sponte remeasse, ac statim correptum per crucem suam honorificasse Dominum. Porro ex hoc facto quaedam voluntas Christi significatur ut Petrus Romae vitam finiret, et sic Romanae cathedrae iura Primatus relinqueret. Quid simile refert Athanasius (Apolog. de fuga sua n. 18). Et sane illa prior hypothesis probabilis est; primo quidem quia et altera, permisisset nempe Christum Petro determinationem formae successionis, non est certa; prior vero et non repugnat, et imo est consentanea providentiae divinae. Agebatur enim de re maximi momenti et plane capitali in Ecclesia, in quibus successoribus Primatus ipse Petri perseverare deberet; congruum proinde erat ut Christus immediate id determinaret. Cui accedere videtur auctoritas Optati cuius illustre est testimonium iam recitatum ex L. I. c. 2 sic aientis. « negare non potes scire te in Urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam etc. » Iam vero Cathedra episcopalis Petri in Urbe Roma est cathedra iurisditionis et magisterii suprema et universalis Romae existens, sive Primatus affixus Sedi episcopali Romanae. Porro Optatus docet cathedram hanc in Urbe Roma collatam esse Petro; non Petrus eam elegit, sed ei collata est, utique a Deo; Deus est ergo qui Petro in Urbe Roma cathedram episcopalem contulit: scilicet terminus divinae collationis non est tantum Primatus, sed Primatus quoque in Urbe Roma; accepit ergo Petrus a Christo Primatum constituendum in Urbe Roma: ex voluntate igitur antecedente Christi factum est ut Episcopatus Romanus esset Episcopatus catholicae Ecclesiae.

III. Ex hactenus disputatis haec ergo colligimus 1) Romanum Pontificem succedere in Primatu Petri iure divino, tum iure divino antecedente, lege nempe successionis instituyente Primatus perpetuitatem; tum iure divino saltem consequente quidem factum Petri, sed praeventente factum successionis, propter conditionem successionis a Deo immutabiliter firmatam, cui unus Romanus Episcopus facit satis. Hinc 2) falsum est prorsus Romanos Episcopos iure humano succedere Petro in Primatu: nam praeterquamquod nec ab Ecclesia nec ab ulla alia potestate terrena collatus est Episcopo Romano Primatus, sed a Christo, et hoc ipso vere iure divino succedit; ut aliquo sensu verum esset ipsum iure humano succedere, quatenus nempe id quod determinat successionem in cathedra Romana potius quam in alia cathedra sit ex iure humano, oporteret ut factum Petri prout erat factum hominis, fuisset ratio sufficiens cur potius Episcopus Romanus quam alii succederent. Atqui illud factum non fuit *ratio sufficiens*. Ratio enim sufficiens est ea quae sufficit pro

rationato. At illud factum non sufficebat pro hoc effectu. Effectus enim iste huiusmodi est, ut sit ex se immutabilis successio: atqui ad hoc requirebatur ius divinum confirmans factum Petri, et praevertens factum successionis. Ratio vero, quae non est sufficiens, nondum confert ius. Facto ergo Petri, prout actus Petri erat, elementum aliquod pro conditione successionis positum est, sed eo solo ius quod modo habent Romani Episcopi, conditum non est.

Erravit ergo 3) impudentissime Febronius (c. II. §. 3) contendens Ecclesiae auctoritate factum esse ut Romanus Episcopus prae ceteris succederet Petro, semperque penes Ecclesiam manere potestatem mutandi formam successionis.

SCHOLION.

Iam vides quodnam iudicium ferendum sit de ratione allata in duplici canone graecorum, altero Concilii Constantinop. I. altero Chalcedonensis. Prior, qui ordine III recensetur, sic habet « Constantinopolitanae civitatis episcopum habere oportet praerogativas honoris (τα πρεσβεια της τιμης, quae vox πρεσβεια occurrit in cn. VI. nicaeno, et significat privilegia Sedis, eaque privilegia ibi determinate repraesentat, quae continentur iure et potestate illa, quae postea dicta est patriarchalis) post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma. » Alter canon XXVIII sic habet: « Sanctorum decreta ubique sequentes, et canonem, qui nuper lectus est, CL. Episcoporum (canonem modo citatum) agnoscentes, eadem quoque et nos decernimus ac statuimus de privilegiis (περι των πρεσβειων) ecclesiae Constantinopolis novae Romae. Etenim antiquae Romae Throno, eo quod urbs illa imperaret, iure Patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti CL Episcopi novae Romae Throno aequalia privilegia tribuerunt, recte iudicantes urbem, quae et imperio et senatu honorata sit, et aequalibus cum antiquissima regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis non secus ac illam extolli ac magnifieri, secundam post illam existentem et ut Ponticae et Asiae et Thraciae Dioeceseos metropolitani soli, praeterea Episcopi praedictarum dioeceseos, quae sunt inter barbaros, a praedicto Throno Constantinop. Ecclesiae ordinentur, etc. »

Quae quidem si volumus examini subiicere, haec licet animadvertere. 1) Uterque Canon nullam habet auctoritatem. Nam Concilium Constant. I. non fuit oecumenicum nisi propter confirmationem Damasi, quae ei accessit, qua quidem decretum tantum dogmaticum probatum fuit, non vero ullus alius canon. « Romana Ecclesia (ait Gregorius M. L. VII. Epist. 34.) eosdem canones vel gesta Synodi illius hactenus non habet nec accepit: in hoc autem eandem syno-

dum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. » Canonem vero Chalcedonensem ediderunt Patres Graeci non praesentibus Legatis Romanae Sedis, in Actione XV, qui quidem legati, cum antea rogati essent ut illi canoni sanciendo assentirent, negarunt se ad hoc mandata suscepisse: quique propterea Actione sequente de fraude conquesti sunt, rogaveruntque ut deleteretur decretum, « sin alias contradictio nostra his gestis inseratur, ut noverimus quid Apostolico viro universalis Ecclesiae Episcopo referre debeamus ». Leo vero Pontifex decretum illud penitus abrogavit, quod et a codice canonum Ecclesiae orientalis expunctum est.

2) Canon Chalcedonensis, ut optime probat Patricius Murray (Tract. De Ecclesia Christi. Vol. III. Sect. IV, disp. XIX, n. 493 seqq.) loquitur tantum de munere et principatu patriarchali Romanae Sedis, cui parem principatum adserunt Graeci Ecclesiae Constantinopolitanae. Nam a) privilegia asserta Ecclesiae Constantinop. non sunt nisi patriarchalia, ut ex ipsa Canonis declaratione liquet; ergo et ea privilegia Romanae Sedis, cui comparare volunt Sedem novae Romae, sunt patriarchalia. Et sane eadem se dicunt Patres Chalcedonenses decernere, quae Constantinopolitani decreverant; atqui haec sunt iura patriarchalia tantum. b) In Epistola Patrum Chalcedonensium ad Leonem exstat diserta professio Primatus Romani Pontificis quem suum caput esse testantur: at si Patres in eo decreto locuti essent de Primatu Romano, cui comparare volebant ius Sedis Constantinop. iidem cum suo Episcopo Constantinop. Anatolio non potuissent simpliciter profiteri subiectionem suam Romano Episcopo. c) Idem Anatolius, qui eius canonis promulgationem procuraverat, literis datis ad Leonem, suppliciter ipsum exorat ut canonem illum confirmare dignetur: atqui est in hoc facto professio clarissima Primatus Romani super ipsum Constantinop. Episcopum: praeterea impium et ridiculum fuisset petere a Romano Pontifice ut iura Primatus universalis secum dividere vellet: iura ergo patriarchalia Anatolius eo canone sibi arrogaverat; ideoque et iura Romanae Sedis, quibus comparare volebat sedem suam, sunt patriarchalia. d) Leo M. neque canonem, neque literas Anatolii, et Imperatoris qui idem flagitabat, ita intellexit ut in eis sermo esset de Primatu. Si enim hanc audaciam graecorum vel advertisset vel saltem subodoratus fuisset, velle nempe Episcopum Byzantinum parem se facere Romano in Primatu quem in universam Ecclesiam obtinet, id aperte reprobasset, et veluti perniciosissimum schisma et manifestam haeresim damnasset: atqui in omnibus Leonis epistolis super hac re datis nulla exstat huiusmodi reprobatio aut damnatio, nullumque indicium quo videatur putasse Leo eo canone Primatum suum labefactari: solumque

ipse queritur de violato canone Nicaeno VI. quoad Sedes Patriarchales, et de ambitione Anatolii.

Verum 3) canon ille Chalcedonensis ea ambiguitate verborum propositus est, et eo principio fultus, ut viam straverit schismati graecorum, et rationem suppeditet suspicandi quod aliquid amplius molirentur iam tum Episcopi Constantinopolitani quam quod ausi sint declarare. Ceterum quae dicunt falsa sunt. Falsum est a) quod Patres tribuerint Sedi Romanae iura tum Primatus, tum etiam Patriarchalia; ea enim a Christo habet, haec vero ex eo habuit quod esset Sedes Petri, et omnes in Occidente Ecclesias Sedes Romana fundaverit. Nisi voce *tribuerint ἀποδεδωκασιν* significare voluerint *dare quod debitum est*, scilicet Patres honorem Romanae Sedes debitum ex divino iure sancte servasse et ut par erat detulisse. Sane cum de privilegiis Sedes Constantinop. loquuntur, verbo alio utuntur *ἀπενειμασαν*; *απονεμω* vero est simpliciter: *sponte cum potestate tribuo, distribuo*. Quorum diversorum verborum usu iam et ipsi Chalcedonenses Patres praerogativas proprias Romanae Sedes significassent. Falsum est autem b) rationem, cur Romana Sedes gaudeat Primatu in universam Ecclesiam, esse quia *Urbs illa imperio poteretur*; quod subsequentes Graeci ut suum schisma tuerentur cathedramque byzantinam extollerent affirmare non dubitarunt. Qua in re advertendum est, aliud esse quaerere, cur Deus voluerit Romanam Sedem prae ceteris eligere pro successione in Primatu, aliud quo iure Romanus Pontifex succedat. Huic alteri simpliciter respondendum est: iure divino, quia Deus voluit, quaecumque sit ratio cur Deus voluerit. Haec enim nihil refert: dummodo namque Deus id voluerit, volueritque esse perpetuum, Romanus Pontifex iure divino succedit. Priori vero quaestioni primum responderi potest, parum referre id nosse: deinde probabiliter ex quadam analogia responderi potest Romam electam esse *tunc* quia *tunc* regina erit Roma non quidem universi, sed magnae partis orbis cogniti, et praestantissima civitas, « ut lux veritatis, quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet » (Leo M. Serm. LXXXIII. n. 3). Verum haec ratio eligendae Sedes principis (quae quidem ratio necessaria non erat, cum Primatus et omnis ecclesiastica potestas sit prorsus independens a dignitate quavis et potestate civili) potuit quidem esse ratio, *qua ab initio existente* eligeretur *primum* Sedes Romana, non vero potuit esse *ratio qua perseverante perseveraret* quoque Primatus in Sede Romana. Perseverantia enim pendet immediate et adaequate a facto Petri et voluntate Dei, quae huic Sedi Primatus iura alligavit. Cf. Leonis epist. CIV, 3. ad Marcianum, et Gelasii ad Episcopos Darda-

niae. Haec tamen maluerunt confundere graeci ut Sedem Byzantinam super alias patriarchales Sedes, et tandem supra Romanam extollerent.

Nulla vero difficultas oriri potest ex certis formulis, cuiusmodi est in Novella CXIII Iustiniani: « Decernimus secundum Sacrarum Synodorum decreta sanctissimum veteris Romae Episcopum primum esse omnium Sacerdotum », et in Concilio IV Romano sub Symmacho « Apostolicae Sedi primo meritum b. Petri, deinde conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem. » Nam decreta Conciliorum non sunt decreta instituentia vel conferentia auctoritatem, sed eam declarantia; sicut cum decernitur B. Virginem esse Dei Matrem, non ei confertur hic honor, sed notus fit nobis. Praeterea ea decreta docent obedientiam a cunctis praestandam esse Romano Pontifici, quae decreta certis quoque poenis possunt communiri. Huc tantum Imperator respexit praeciens honorem iure divino debitum deferri ab omnibus Romanae Sedi. Concilium autem sub Symmacho primam causam singularis potestatis repetit a meritis b. Petri, h. e. a dignitate Petri qui prior Romae sedit.

Coroll. Hinc tandem colligitur Episcopatum Romanum et Episcopatum oecumenicum non esse duos Episcopatus *actu*, sed tantum *virtute*. Scilicet Episcopatus Romanus quatenus talis non quidem *reduplicative* sed *specificative* est Episcopatus oecumenicus sive Primatus. Ipse enim Episcopatus Romanus euectus est ad dignitatem Episcopatus universalis, ita ut Episcopatus Romanus eo quod talis, posito facto Petri et iure divino vel iubente vel sanciente factum Petri, sit Episcopatus oecumenicus, licet non eatenus sit oecumenicus quatenus est Romanus. Unus est ergo *actu* Episcopatus. Essent scilicet duo Episcopatus, si vel Episcopatus oecumenicus uniretur per accidens Romano, ita ut in praesenti oeconomia separari possent, ideoque distincti manerent: vel quamvis aliqua lege deberent semper in una persona esse coniuncti, tamen Episcopatus Romanus non esset in recto Episcopatus universalis; sicut si Episcopus Florentinus Romanus Pontifex factus retineret Episcopatum Florentinum, non esset tamen Episcopatus Florentinus in recto Episcopatus Romanus. At contra Episcopatus Romanus et Episcopatus universalis iure divino nec separati sunt, nec separabiles, non solum ratione subiecti quatenus debeant esse simul in eadem persona, sed ratione formae quia Sedes Romana est ipsa Sedes Primatus: hoc porro est Episcopatum Romanum esse in recto Episcopatum oecumenicum. Non sunt ergo duo Episcopatus *actu*, sed ipsa Sedes Romana euecta est ad dignitatem Primatus. Dicitur tamen duplex *virtute*, quia ratione termini munera praestat utriusque Episcopatus; et quia prae-

cisione facta a facto Petri et iure divino possent esse duo Episcopus distincti realiter et specialiter.

Nota. Romanus Pontifex successor est Petri in Primatu, et solius Petri; quamvis secundum quid sub aliqua imperfecta ratione possit dici et dicatur successor quoque Pauli. Sane propositio haec: « *S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes qui unicum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiae catholicae coryphaei ac supremi duces summa inter se unitate coniuncti, vel sunt geminus universalis Ecclesiae vertex, qui in unum divinissime coaluerunt, vel sunt duo Ecclesiae summi pastores ac praesides qui unicum caput constituunt* », ita explicata ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subiectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae, declarata est *haeretica* ab Innocentio X. Primatus nempe proprius est solius Petri; Romanus proinde Episcopus qui in Primatu succedit, soli Petro succedit. Et sane Petrus fuit ordinarius Episcopus Romanae Sedis, id universa antiquitas testatur, et idcirco ea sedes dicitur Sedis Petri; unicus vero esse potest ordinarius Episcopus alicuius Ecclesiae. Petro vero veluti coadiutor, qui non habet cathedram aliam ab ordinario, coniunctus est Paulus, sive, ut ait Gelasius in decreto de Scripturis canonicis et apocryphis, « Petro addita est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli. » Scilicet advertendum est Paulum praedicatione sua fundasse cum Petro Ecclesiam Romanam, unde ratione habita praedicationis dici potest Paulus simul cum Petro fundator Ecclesiae Romanae: Petrus autem praeterea ratione ordinariae auctoritatis Episcopalis ibi assumptae. Item Paulus cum Petro connumeratur inter principes Apostolorum, sed ille ratione potestatis, hic ratione praedicationis, qua ceteris praecelluit.

Hinc intelligitur quo sensu Romani Pontifices dicantur *successores Petri et Pauli*, imperare soleant *auctoritate Petri et Pauli*, minarique *indignationem Petri et Pauli*; ac in diplomatis pontificiis utriusque imago repraesentetur. Nam Romanus Pontifex successor dicitur Pauli tum quoad successionem localem, in eadem enim Ecclesia succedit, in qua Paulus vitam et Apostolatam absolvit; tum quoad successionem realem; eandem enim apostolicam auctoritatem hereditat Pontifex quae erat extraordinaria in Paulo, imo maiorem; non vero quoad successionem personalem, obeundo nempe eius officium, eiusque locum tenendo. Hac ergo ratione, et quia Paulus, ut diximus, praedicatione sua fundavit Romanam Ecclesiam, suoque sanguine consecravit; fuitque socius et adiutor Petri, eius imago componitur cum imagine Petri in diplomatis pontificiis, licet non semper; Brevia enim Apostolica signantur annulo solius Piscatoris figuram

gerente. Porro auctoritas Pauli sub qua Romani Pontifices imperant, et indignatio eius, quam minantur, potius quam potestas officii censenda est *potentia patrocini*, et sane non tantum ipsius, sed et B. Virginis, et Sanctorum omnium auctoritatem et indignationem solent Romani Pontifices proponere.

Quod vero in imaginibus Petri et Pauli identidem Paulus nobiliorem occupet locum, id vel ex imperitia artificum, vel ex eo factum est quod vellent subinde significare quemdam primatum Pauli nempe in praedicatione, eiusve specialem destinationem ad gentes evangelizandas, inter quas est Roma.

THESIS XI.

Verba ergo Christi ad Petrum (Matth. XVI; Luc. XXII; Ioan. XXI) spectant aequo iure ad singulos Romanos Episcopos, qui universi Primatus iurisdictionem ab ipso Deo immediate consequuntur.

I. Prior pars corollarium est praecedentium. Verbis enim Christi Primatus Petri institutus est, atque institutus est perpetuus; in successoribus ergo Petri perseverat idem Primatus Petri: ideoque ad eos quoque ea verba spectant. Diximus perseverare Primatum Petri: huc enim spectat perpetuitas Primatus, de qua locuti sumus, Primatus nempe illius quem Christus instituit, qui non est nisi Primatus Petri. Unde si e. g. praetermisso Romano Pontifice Ecclesia alicui conferret quandam supremam potestatem in omnes fideles, etsi ille esset aut diceretur Primatus, non esset tamen Primatus Petri, seu non esset ille qui a Christo originem habet et collatus est b. Petro; neque qui sic ab Ecclesia eveheretur, esset successor Petri. Concipiendus est ergo idem Primatus olim a Christo institutus in Petro iugiter perseverare in suis successoribus, quos omnes Christus allocutus est cum locutus est ad Petrum. Testimonia traditionis catholicae in hanc rem afferre modo non oportet, cum ea traditio ex testimoniis pluribus iam superius citatis evidentissime constet. Hinc liquet cur Romana Sedes dicatur Apostolica, eaque sola intelligatur, cum simpliciter dicitur *Sedes Apostolica*. Nam quamvis aliae sint sedes in quibus Apostoli sederunt aut quas instituerunt, tamen in sola Romana Sede viget tota potestas Apostolatus et quidem Apostolatus Petri, qui est iurisdictio universalis et suprema. Unde licet alii, puta Episcopi Ierosolymitani, succedant Apostolo, at non succedunt in Apostolatu, qui cum Apostolo desiit: Romanus vero Pontifex succedit Petro in Apostolatu qui erat eius Primatus. Quare munus Romani Pontificis *Apostolatus* appellatur, ut in Conc. Chalcedon.